

alteri, ista etiam sit efficiens, sed potest esse finalis, vel objectiva formalis, et specificans.

ARTICULUS V.

Quæ objecta necessario moveant voluntatem, et quis modus movendi ab exteriori illam necessitet?

I. Pauca circa necessitatem voluntatis ortam ab objectis attingemus in præsentem, quia alibi a nobis tractata sunt. Et circa modum movendi, quo voluntas ab exteriori principio influente, et movente illam immutari potest, explicavimus breviter aliqua quæ D. Thomas in præsentibus quæstionibus dicit, et conducunt ad intelligendum quomodo motor extrinsecus determinet voluntatem, et quomodo possit illam necessitare, vel non.

QUID MOVEAT NECESSARIO QUOAD SPECIFICATIONEM.

II. Sæpe dictum a nobis est, quomodo distinguatur libertas quoad specificationem, et quoad exercitium, et similiter necessitas quoad utrumque. Et cum specificatio in actibus sumatur ab objecto, exercitium vero, seu elicentia a subjecto, ejusque potentia, et vi operativa, oportet necessitatem, aut libertatem quoad specificationem ex objecto ipso colligere, quando videlicet relinquit, vel non relinquit indifferentiam in ipso objecto, ut operatur. Igitur necessarium quoad specificationem, ut etiam supra disputatione secunda attigimus, est id quod ex parte objecti non habet indifferentiam ut non ametur, sed totum quod in objecto relucet amabile est, seu amoris terminativum, non odii, aut fugæ. Liberum quoad specificatio-

nem est, quod ex parte objecti indifferentiam, et indeterminationem habet ut prosequatur, vel fugiatur, id est, ut bonum, vel malum appareat, eo quod prosecutionis objectum est bonum, fugæ malum. Quod ergo solum potest objici tamquam bonum, non manet indifferens, et liberum in ipsa ratione objecti, quæ est principium specificationis, et sic est necessarium quoad specificationem, id est, quoad rationem objectivam. Necessarium quoad exercitium est quod non relinquit indifferentiam, et liberum ipsum principium volendi in elicentia actus, ad quod requiritur, quod nec possit divertere propositionem objecti, nec eo proposito possit retinere elicentiam actus. Liberum quoad exercitium est e contra, quod relinquit indifferentiam ipsum principium elicitive actus, et potens elicere, vel non elicere, sive id faciat divertendo propositionem objecti, sive proposito objecto in utramque partem volendi, aut nolendi, accipiendo unum, et relinquendo aliud, sive etiam suspendendo actum, licet nunquam suspensio sit pura, et absoluta extinctio omnis actus si voluntaria est, ut disputatione tertia diximus.

III. Ex quo etiam sequitur, quomodo discernenda sit libertas contrarietatis, et contradictionis, quod illa respicit oppositionem objectorum in ratione boni et mali, convenientis aut disconvenientis: hæc respicit oppositionem actuum penes procedere, aut non procedere, elici, vel non elici a subjecto, seu a principio. Et ideo libertas ista, seu oppositio actuum est contradictionis, quia versatur inter terminos contradictorios, scilicet esse et non esse a suo principio, elici vel non elici actum. Semper tamen isti modi libertatis cum præcisione sumendi sunt, ita quod libertas contradictio-

nis solum consideretur penes ipsum egredi, vel non egredi actionis. Si vero ex tali omissione, aut negatione elicentia sequatur, aut refundatur aliquid mali, et difforme rationi in objectum omissum, vel commissum, sic non manebit in ratione puræ libertatis contradictionis, sed admiscebit aliquid de libertate contrarietatis, quatenus objectum relinquitur malum. Unde oportet valde caute procedere in hac parte, et attendere ne mutetur appellatio, transeundo de pura contradictionis libertate ad contrarietatem, ut in actibus Christi Domini posito præcepto, cum dicitur: Poterat operari, et non operari instante præcepto; si non operaretur peccaret, seu frangeret præceptum; ergo si poterat non operari, poterat peccare. Mutatur appellatio de libertate contradictionis in libertatem contrarietatis. Nam in majori, posse operari, et non operari, intelligitur præcise, ut explicat libertatem contradictionis; in minori vero ly non operari, sumitur etiam contrarie, et prout inducit malitiam moralem, et sub hac formalitate non poterat operari illud ut malum, licet quoad physicam egressionem actus, et quoad exercitium in hoc, vel in illo individuo actus posset alium actum operari, et istum non operari, cum uterque sit bonus.

IV. His suppositis juxta ea quæ in libris de anima, quæst. XII, art. IV, nobis tractata sunt, dicendum est ex D. Thoma id quod necessarium movet quoad specificationem reduci ad unum objectum formale, et ad duas condiciones inclusas. Objectum formale est beatitudo in communi, et multo magis si intuitive, et in se videatur in particulari illud objectum, quod est essentialiter, et in se intrinsece tota ipsa beatitudo adæquate, id est, Deus ipse clare visus. Condiciones autem in

tali objecto inclusæ sunt duæ, scilicet ipsum esse, seu vivere, et bene esse, id est, sine defectu esse, hoc enim est bene esse. Unusquisque enim naturaliter vult bonum satiativum sui, et hoc est beatitudo. Non potest autem habere bonum satiativum sui, nisi supponat tamquam fundamentum ipsum esse, seu vitam, quia sine vita non potest bene vivere, et satiative esse. Secundo, requiritur ex parte consummationis, et termini quod hoc esse bene habeat, id est, sine deficientia, quia si aliquid deficit ex his, quæ debentur, vel quorum est capax, non est plene satiativus, et consequenter neque beatus. Hæc ergo per se necessario appetuntur necessitate specificationis, et quantum est ex parte objecti, quia in ipso objecto nihil relucet de malo, seu de objecto fugæ, ergo si voluntas fertur in illud, de necessitate, et determinate debet amare: nec est ibi indifferentia ad prosequendum, vel fugiendum ex parte objecti, cum non nisi bonum representet, licet non liget voluntatem ut non possit inde divertere, et sic non in exercitio necessitetur amare. Et eodem modo ea quæ necessariam connexionem, et per se habent cum tali objecto eadem necessitate, quoad specificationem amantur. Quæ vero talem connexionem per se, et necessario non habent, non necessario appetuntur etiam ex parte objecti.

V. Hanc doctrinam docuimus citato loco librorum de anima ex D. Thoma, tum in hac prima secundæ, quæst. X, art. II ad tertium; tum quæst. VI de malo, articulo unico ad septimum, et videri potest I p. q. LXXXII, art. II, et q. XXII de veritate, art. V et VI. Sufficit notare verba, quæ ponit doctor sanctus in hac quæstione, decima, cum inquit: « Quod finis ultimus de necessitate movet voluntatem, quia est bonum

perfectum, et similiter illa, quæ ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest, sicut esse, et vivere, et hujusmodi. » Sumitur autem finis ultimus hic non materialiter pro re illa in qua talis finis constituitur, sed formaliter pro ratione illa, qua talis finis in ratione finis ultimi constituitur, scilicet perfectio illa, et bonitas quatenus vere, vel apparenter, et juxta proprium arbitrium satiat, et implet voluntatem. Hoc enim non potest habere nisi rationem boni, quia deficientia a bono prout talis non satiat, nec implet; implere enim, et satiare, perficere est; nihil autem perficit per deficientiam a bono. Ubi autem solum resplendet ratio boni non potest relinqui locus actui odii, vel fugæ, sed solum amoris, vel prosecutionis, eo quod bonum ut bonum est per se specificativum objectum amoris, sicut malum abominationis, et fugæ.

VI. Ex hoc ergo deducit S. Thomas in hac quæstione x, art. ii, solum universale bonum, quod est beatitudo, est tale quod voluntas non potest illud non velle, quod est esse necessarium quoad specificationem volendi, seu amandi, non enim potest esse objectum nolendi. Et format rationem sic, quia in quolibet motu potentiæ consideranda est ratio, qua objectum movet potentiam, ad illam enim necessatur potentia quantum est ex parte objecti, quia non potest extra limites suæ specificationis exire, cum hoc sit ei essentielle, ut patet in visu, qui habet pro objecto motivo colorem, unde si proponatur color, non potest visus non moveri, nisi quis visum avertat, quod pertinet ad exercitium actus; sed tamen quantum ad specificationem, non potest color propositus movere potentiam visivam nisi ad visionem. Si tamen esset aliquod objectum, non omni-

bus modis, aut non ex omni parte coloratum, bene posset visus tale objectum non videre, et ita non moveretur de necessitate visus a tali objecto, quia posset intendere illud pro ea parte, qua coloratum non est. Cum ergo bonum sit objectum voluntatis specificativum quoad actus prosecutionis, et amoris, impossibile est, quod voluntas tendat in aliquid, quod non sit bonum, quia sic egrederetur limites suæ specificationis; ergo necesse est quod coarctetur, et determinata sit ad tendendum in bonum, ita quod non possit velle oppositum ejus, quod bonum est, et ita si tendit in aliquod objectum, et vult illud, debet esse bonum. Illud ergo objectum, quod universaliter est bonum, nec in eo apparet ratio mali, ita necessabit voluntatem, quod si voluerit se exercere ergo illud, non possit oppositum ejus velle, seu ipsum fugere, sed solum velle, licet non teneatur in exercitio illud velle, quia potest ad aliud divertere, et non de illo cogitare. Illud autem objectum, quod non ita universaliter, et plene est bonum, ut non possit secundum aliquam considerationem bonum non apparere, non necessitat voluntatem ut feratur in ipsum, sed potest sub illa consideratione, qua bonum non apparet, repudiare. Ex quo infertur, quod sola beatitudo, et conditiones ipsam concomitantes, est quæ necessitat quoad specificationem, quia sola beatitudo est bonum perfectum, cui nihil deest, nec potest apparere non bonum. Reliqua bona in quibus deficere potest aequaliter ratio boni, non repugnat repudiari a voluntate.

VII. Sic se habet ratio D. Thomæ, quæ directe probat beatitudinem esse objectum necessitans quoad specificationem. Ex illa tamen etiam deducit sanctus doctor solutione ad tertium, ea quæ ita ordinantur

ad hunc finem, quod sine illis finis haberi non potest sicut esse, vivere, et hujusmodi, necessario amari quoad specificationem, eo quod per se, et necessario sunt adjuncta ipsi fini. Et hoc etiam dixerat in eadem quæstione articulo primo, quod naturaliter homo vult, non solum objectum voluntatis, sed etiam alia, quæ conveniunt aliis potentiis, ut cognitionem veri, quæ convenit intellectui, et esse, et vivere, et hujusmodi alia, quæ respiciunt consistentiam naturalem. Quod utique intelligitur per se loquendo, et quantum est ex parte objecti, et bonitatis ejus, nam per accidens bene potest oppositum accidere ex errore, quo aliquis ita pervertit existimationem, quod putat illi fini, quem amat, deservire amissionem vitæ, ut qui se interimunt eo quod non possunt tolerare vitam in miseriis. Unde illi non habent odio vitam ut vitam, sed ut miseriam, et subjectam calamitatibus, quas nimis appetunt fugere. Sicut e contra, qui amissione vitæ existimant secundum fidem debere eam profundere aut secundum errorem se obsequium præstare Deo, non habent odio vitam ut vitam, sed meliorare volunt, aut putant se meliorare per mortem. Omnes ergo amant vitam formaliter, licet non omnes materialiter, et sub talibus circumstantiis.

VIII. Et ex hoc etiam infertur, quod ratio S. Thomæ procedit de beatitudine pro formali, id est, ratio boni perfecti, non pro illa re materiali in qua formalis illa ratio beatitudinis invenitur. Hæc enim potest ratione alicujus pravi dictaminis odio haberi, ut cum Deus odio habetur, non considerando illum sub ratione summi et perfecti boni, qua est in se, sed prout infert aliquem effectum displicentem, et unde oritur illa abominatio. Loquendo autem de formali ratione

beatitudinis, quæ est ipsa ratio perfecti boni, efficaciter concludit ratio D. Thomæ, quia voluntas necessatur ad procedendum juxta suum specificativum proprium, et per se, si velit actum elicere: sicut enim si vult actum elicere, non potest elicere actum, qui non sit per modum inclinationis, et ponderis, quia hoc est essenziale prædicatum actus volitivi, ut distinguitur a cognoscitivo, ita non potest (si velit elicere actum) non elicere, nisi sub sua ratione, et objecto specificativo, hoc est sub ratione boni, ita quod bonum sit proprium, et per se objectum amoris, et inclinationis, sicut malum est objectum fugæ, quatenus malum, ut supra ostendimus. Quare cum perfectum bonum, et satiativum sit bonum sine apparentia mali, non potest esse specificativum nisi amoris, et prosecutionis, non fugæ. Unde sicut alligatur voluntas ad hoc ut bonum, quatenus bonum prosequatur, malum autem quatenus malum fugiat, ita necessatur a formali ratione beatitudinis, quæ est perfectum bonum, ut si velit elicere actum, non nisi prosecutionis, et amoris eliciat erga illud; et similiter erga ea, quæ ita ordinantur ad talem finem, ut sine his non possit obtineri.

IX. Quod si quæras, an hoc procedat de omnibus mediis necessariis ad talem finem, et sine quibus haberi non potest, ut sunt virtutes, et alia quæ ex beneplacito Dei per se requiruntur necessitate medii, ut fides in Christum, et sacramentum baptismi, et alia similia, respondetur ista non amari necessario quoad specificationem, sed posse odio haberi, sicut multi abominantur sacramenta, et legem Christi, et ipse Dominus dixit de Judæis: *Quia odio habuerunt me gratis*, Joan. xv. Hoc autem ideo est, quia virtutes, et fides Christi, et sa-

cramenta illa sunt necessaria necessitate medii ad finem ultimum, non solum formaliter, et in communi consideratum, sed naturaliter, et in tali re, scilicet, in Deo vero, quem dum non videmus, non necessitatur diligere, prout talis est in particulari, sed potest aliquis ipsum abjicere, et odio habere ex prava existimatione, non considerando illum ut summum bonum in se, sed ex aliquibus effectibus, ratione quorum ipsum non diligit. Et eadem ratione non necessitatur quoad specificationem ea diligere, sine quibus iste finis in particulari, et materialiter consideratus haberi non potest, ut sunt ea, quæ in argumento referuntur.

X. Quæ possent objici contra nostram resolutionem circa objecta, quæ diximus quoad specificationem necessitare, adducta sunt a nobis, et soluta in libris de anima, quæst. XII, artic. IV, ibi videri possunt.

QUÆ OBJECTA MOVEANT QUOAD EXERCITIUM NECESSARIO?

XI. Aliud est inquirere, an aliquod objectum ratione ipsius objectivæ motionis, seu causalitatis, et in vi illius possit necessitare quoad exercitium; aliud, an detur aliquod objectum, quo posito, circa illud necessitetur quoad exercitium voluntas, licet non ex illo in vi motionis objectivæ, sed in vi alterius, quæ efficienter, et quasi impulsively necessitet voluntatem ad exercendum actum aliquem secundum quod hic et nunc individualiter egreditur a potentia. Hoc enim est necessitare quoad exercitium, ut distinguitur a specificatione, scilicet coarctare, seu determinare voluntatem ut efficienter eliciat, seu elicitive efficiat hunc actum. Quod si objectum in vi objectivæ motionis id non faciat, a qua

vi et principio id procedat quando sic necessitatur circa aliquod objectum, ut in visione beatifica? Si vero objectum in vi objecti necessitare potest quoad exercitium, restat videre, quibus objectis id competat, an soli visioni beatificæ?

XII. Sic ergo dicimus, quod primo modo non necessitatur voluntas quoad exercitium ab objecto in vi solius motionis objectivæ, quæ est sententia Cajetani, Soto, Medina, et aliorum apud Martinez hic quæstione decima, articulo primo, dubio primo. Et ratio est manifesta, quia necessitas quoad exercitium est necessitas potentiae, et coarctatio quoad ipsum egredi, vel non egredi actus a tali potentia, non autem est coarctatio quoad speciem, ut si velit operari, solum possit actum talis speciei, et non alterius facere: sicut necessitas quoad specificationem est coarctatio potentiae ad speciem talis actus erga objectum, si circa illud velit elicere actum: sed necessitas exercitii est coarctatio ut de facto velit, et eliciat hunc actum. Non ergo potest motio objectiva, seu specificativa se sola necessitare quoad exercitium, quia non est suæ conducentiæ, neque ad ejus sphaeram pertinet ad exercitium actus movere, sed esse formam specificationis actus; ergo neque ad ipsam pertinet movere quoad exercitium necessitando, sed solum sistit in specificatione secundum causationem formalem; exercitium autem pertinet ad elicentiam, et efficientiam actus; ergo et coarctatio, seu necessitatio ad illam a causa efficiente, non a formalizante debet directe provenire. Et huic concordat sensus D. Thomæ, qui absolute docet objectum non necessitare, nec movere quoad exercitium, sed tantum quoad specificationem, ut patet in hac quæstione IX, artic. I, et quæstione X, artic. II, ubi inquit:

« Quod voluntas movetur dupliciter, uno modo quantum ad exercitium actus, alio modo quantum ad specificationem actus, quæ est ab objecto. Primo modo voluntas a nullo objecto ex necessitate movetur. » Quæ propositio ita universaliter negativa verificatur de omni objecto sub formali ratione, et motione objectiva, et specificativa, sic enim non exercitium respicit directe, sed specificationem; ergo neque necessitare potest sub hac formalitate quoad exercitium, sed quoad speciem.

XIII. Adde tamen, quod licet directe, et per se objectiva, seu specificativa motio non possit necessitare quoad exercitium, potest tamen aliquod objectum, nempe Deus clare visus, indirecte necessitare quoad exercitium, quia cum sit summum bonum impedit omne dictamen, quod opponi potest continuationi sui exercitii, aut quod cessationem ab ipso potest jurare. Cum enim voluntas ab exercitio aliquo cessare non possit, nisi ex aliquo dictamine proponente sibi talem cessationem ut convenientem (si ex voluntate, et vitaliter, atque cum advertentia cessat) ideo si objectum talis sit naturæ, et conditionis, quod non permittit secum dictamen de convenientia cessandi ab actu, ex hoc impedit indirecte cessationem a tali exercitio, et consequenter necessitat ad illud. Sic autem est objectum beatificum, quod cum sit summum bonum non solum ex parte rei cognitæ representat summam convenientiam ut ametur, et nullam disconvenientiam, aut rationem mali ut repudietur, sed etiam non permittit aliquam convenientiam apparere in cessatione ab actu, aut aliquam disconvenientiam in continuatione ejusdem, eo quod ille actus pertinet ad fruitionem summi boni, et formaliter, vel præsuppositively facit acquisitionem ultimi fi-

nis, in qua adeptione, et fruitione ejus, si aliquid mali posset apparere, posset aliquis retrahere se ab amore finis ultimi, universaliter loquendo, quia non minus de bono repræsentatur in illo particulari objecto, quod est Deus et summum, quam in formali ratione universalissimi boni, quod est objectum per se voluntatis, eo quod Deus est omne bonum, et universalissimum bonum, et sic in repulsionem illius, quando in se clare videtur, contineretur repulsio totius rationis formalis ipsius voluntatis, quæ est bonum absolute, et in tota universalitate, et latitudine sua.

XIV. Circa secundum sensum quæsi, scilicet an detur aliquod objectum in cujus præsentia necessitetur voluntas quoad exercitium, certum est dari, nempe Deus in se clare visus, in cujus intuitiva visione voluntatem necessitari quoad exercitium, supra ostendimus disp. I, art. VII. Nunc solum posset inquireri, an detur aliquod aliud objectum præter Deum in se visum, quod necessitet quantum ad exercitium. Et sive detur, sive non detur, quodnam sit principium a quo effective proveniat ista necessitas quoad exercitium, supposito quod ab objecto non provenit, prout objectum specificativum est, et in tali genere causandi.

XV. Ad primum respondetur negative stante plena, et perfecta advertentia, seu existente voluntate in suo debito, et connaturali statu; si enim voluntas non sit in statu debito, sed deficiat illi cognitio, et advertentia debita, poterit necessitari quoad exercitium, ut in motibus primo primis, in quibus tamen voluntas non operatur juxta suum proprium, et connaturalem modum, nec regulatur propria, et debita cognitione, et ideo non operatur ut voluntas, sed ut natura. Loquendo